

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1748)  
**Heft:** 12

**Artikel:** Historia vitae, fatorum & obitus Caroli Nicolai Langii [...]  
**Autor:** Langius, Carolus Nicolaus  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394636>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 25.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

Historia

Vitæ, Fatorum & Obitus

CAROLI NICOLAI LANGII

*Lucernens. Helvet. Phil. & Med. D. Acad. Cæs. Leopoldino - Carolin. Societ. Reg. Prussicæ, Phys. Crit. Senens. & Scient. Bononiensis, nec non Reip. Lucernensis Senatoris.*

**G**Ræcis olim, & Romanis in usu fuisse constat, ut præclara Virorum virtute, doctrina, aut armis conspicuorum facta Posteris traderentur, his enim ea ratione ad sequelam stimulus excitabatur ac animus; illis vero post mortem quoque tribuebantur commerita Laudum encomia. Hunc insignem usum ab Antiquitate ad nos traductum esse testantur tot adumbrationes & Historiæ Vitæ, ac Fatorum Virorum nostri Ævi, de Patria, aut Republica literaria bene meritorum, quæ continuo divulgantur, & Posteritati speculi instar proponuntur, ut hæc Eos æmuletur, Nomina vero illorum memoriæ æternæ transcribantur.

Hujus æternæ memoriæ lauro dignus merito existimatur sedulus Naturæ Indagator **CAROLUS NICOLAUS LANGIUS** *Lucernens. Helvet. Phil. & Med. D. Acad. Cæs. Leopoldino Carolin. Societ. Reg. Prussicæ Phys. Crit. Senens. & Scient. Bononiens. nec non Reipubl. Lucernensis Senator.*

Hic

Hic vitam ingressus est in perantiqua Urbe Lucerna 18. Febr. 1670. Patre *Joanne Jacobo Cive Lucernensi* spectatissimo, ac Matre *Catharina Probstatt*, Matrona virtutibus sexum muliebrem condecorantibus exornatissima.

Infantiles, ac pueriles annos traducebat apud Rev. suum Patrum D. *NICOLAUM LANGIUM* S. S. Theol. Doct. primo *Ettiswilæ* pagi Lucernensis Parochum vigilantissimum, dein *Willisovii* Civitatis sub eadem ditione sitæ Plebanum zelosissimum, nec non venerabilis Capituli Willisoviensis Decanum, ac Protonotarium Apostolicum, qui eidem viam ad Pietatem & reliquas Virtutes, tanquam christianæ Religionis & honestæ Vitæ fundamenta, quam ad prima litterarum rudimenta fideliter demonstravit, omnibus ejus libellis sapientissimi Regis Symbolum: *Initium Sapientiæ Timor Domini*, præfigens, ut sic eam, quam auribus hauserat, doctrinam, oculis suis in omnibus libellis obviam frequentius perlegere coactus, memoriæ altius inprimat.

Cum interim Adolescentulus noster in dies semper majus in Virtutibus, & literis studium adhiberet; *Urit enim mature, quod vult urtica manere*, prælaudatus ejus D. Patrus eum Lucernam misit, ut in Gymnasio R. R. P. P. Societatis Jesu Virtutum ac studiorum exercitio animum omnimode excoleret, in quo magna cum laude pluribus suæ diligentiae præmiis, quæ Illustr. Senatus Lucernensis Juventuti studiosæ de virtutibus ac studiis bene meritæ gratiosissime elargiri solet, quotannis condecoratus fuit.

Studiis Philosophicis operam dedit *Friburgi Brisgoiæ*, ad quæ in hac celeberrima Universitate talem indefessam industriam, ac constantem discendi diligentiam adhibuit, ut 16. Dec. 1687. Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei dignitate exornari mereretur; Præter Philosophiam jam simul cursum consecit Theologiæ moralis, quam An. 1689. Lucernam rediens in Lyceo Lucernensi R. R. P. P. Societatis Jesu omni cum laude Doctrinæ, & morum repetiit. Interim prælaudatus ejus D. Patruus, ut statum aut Ecclesiasticum, aut Laicum eligeret, illi serio instabat, qui tandem Providentiæ divinæ Proximum arte medica adjuvandi suggestionem amplectens statui Laico se addixit, quam approbans Venerandus ejus Patruus eum *Bononiam* Italiæ Urbem famosissimam misit, in cujus inclyta Universitate Medicinæ fundamenta ab Excell. & Doctiss. Professore D. *JOANNE HIERONYMO SBARALEA* cum tanta morum ac studiorum probitate excepit, ut etiam dignus existimaretur utriusque Universitatis pro Natione Germanorum Consiliarium agere, in quem die 24. Nov. An. 1691. ad singularem Nominis sui gloriam electus fuit.

Non satis admiranda est nostri Medicinæ Candidati & addiscendi diligentia, & ea, quæ perceperat, retinendi memoria, etenim hæc tanta erat, ut orationem e cathedra prolatam domi quasi de verbo ad verbum repetere potuerit: illa vero ita incircumscrip̄ta existerat, ut etiam præter totam diem, magnam noctis partem ad studia adhibere non dubitarit, a quibus ab amicis sæpius vi avelli debuit, ut saltem aliquod temporis spatium recreationi,

ationi, ac animi relaxationi concederet. Tantæ igitur morum probitatis, assiduæ diligentiae, ac felicissimæ memoriæ ergo Langius, Deo charus, & Hominibus acceptus, triennem Medicinæ cursum maximo cum applausu absolvit, & ad com- meritos in Philosophia & Medicina summos aspira- vit honores, quos tamen in Bononiensi Universi- tate obtinere non potuit. Agebantur enim eo tempore Nationem Germanicam inter & Itali- cam quædam Causæ & Lites, quæ omnibus Phi- losophiæ & Medicinæ Candidatis ad Doctoratus Gradum promovendis moram injecerunt: hujus impatiens Langius, ac Controversiarum suborta- rum compositionem non expectare cupiens Ro- mam petiit, ut in præclarissima hujus antiquissi- mæ Urbis Universitate condignam tandem meri- torum suorum coronam, cujus avidissimus erat, assequeretur.

In hac gloriosa studiorum Matre brevi voto suo potitus est, nam præmisso examine rigoroso, & Professione fidei, ut moris est, præstita, in fre- quenti Auditorio a Doctissimo Philosophorum, & Medicorum Collegio illi proponebantur ex Philo- sophia Textus 42. Libr. 1. Phys. *Quod Contraria sint principia &c.* & ex Medicina Aphorismus Hip- pocratis 10. Sect. 1. *Quibus statim vigor adest, hos tenuiter cibare oportet &c.* quos magna cum facundia exponere, & objectiones ac dubia inde facta subti- liter, & acute enodare calluit: Casum dein Me- dicum Pleuritidis subjunctum non minore eruditio- ne pertractavit, ita ut a dicto Collegio concordi & unanimi Consensu, ac viva voce in Philosophia æque, ac Medicina Doctor judicatus, & procrea-

tus fuerit die 26. Nov. An. 1692. existente suo Promotore Excellent. ac Doctiff. D. *Hieronymo Brasavolo* Medico experientissimo, ac præsentibus perillustribus ac Excellent. D. D. *Joanne Maria Lancisio* Eminent. & Rev. D. *Palutii Cardinalis de Alteriis* Sacræ Romanæ Ecclesiæ Camerarii, inclytæque Romanæ Universitatis Cancellarii Vices gerente, & D. *Carolo Valesio* Almæ Urbis, totiusque status Ecclesiastici Protomedico generali.

Ornatus sic duplici Laurea Langius omnes eo intendit nervos, ut Artem medicam, quam tam egregie communi cum applausu comprehenderat, jam in ægrorum salutem cito, tuto, & jucunde impendere possit, totum igitur Praxi medicæ se dedicavit, effati Galeni optime gnarus: Multa esse in praxi, quæ nec dici, nec scribi possint, quam ut solidam addisceret Dominos Medicos ad ægros, præcipue eos, qui in Nosocomio Romano detinebantur, obsequiosissime comitatus est, & observationes in variis morbis adnotatas quotidie suo diario practico intulit; Anatomicis præterea, Botanicis, Chymicis, ac Chirurgicis exercitationibus impigre operam navavit; magnam hac ratione experientiam nactus in praxi medica ingentes fecit progressus. Roma dein digressus alias ac celebriores Italiæ Urbes invisit, in quibus notabiliora, quæ in Philosophicis vel Medicis rebus conspexerat, suis diariis, quorum unum erat practicum, alterum Anatomico-Chirurgicum, tertium Botanicum, aliud Chymicum, & aliud mixtum, inscribere minime supersedit.

Ex Italia redux *Friburgum Brisgoia* repetiit, & in hac prælaudata Universitate, in qua jam pridem in studia Philosophica summa cum laude incubuit, & Artium Liberalium, ac Philosophiæ Baccalaurei dignitatem retulit, Ao. 1694. Theologiam speculativam cum maximo profectu frequentavit, ac demonstravit, quantum in quacunque Facultate, cui animum applicare voluerit, præstare valeat; Artem interim medicam nequaquam neglexit, sed practicas apud ægros, quos cum D. D. Medicis visitavit, factas observationes diligenter annotavit usui suo progressu temporis profuturas. *Augustam Vindelicorum* dein, aliasque Germaniæ Urbes migravit, ut & in his ea, quæ ad finem suum conducere possent, depromeret.

Gallia postmodum Langium suscepit, in cujus Regni Metropoli ille studia sua Physico-Medica ad tantum perfectionis gradum perduxit, ut suæ Vocationi satisfacere, ac ægros quoscunque consilio & arte sublevare satis idoneus effectus sit. In Nosocomio *Parisiensi* enim practicis Observationibus & Anatomicis exercitiis majorem diei partem impendit, reliquam vero ad studium Botanicum, quod tum sub celeberrimo Professore *Josepho Pitton Tournefortio* eximie florebat, adhibuit: indefessa sua in studiis diligentia, ac continuo in Anatomicis & Botanicis labore hujus clarissimi Botanici animum & benevolentiam ita sibi devinxit Langius, ut singularem ac strictam amicitiam, peculiaremque existimationem Magni hujus Viri per totam ejus vitam obtinuerit, quod testantur plurimæ magno labore & peculiari industria exsiccatae, *Lucernam Langio transmissæ, Plantæ exoticæ, quas*  
famo.

famosus ille Botanicus in itinere Orientali Regis Christianissimi Ludovici Magni jussu suscepto collegit.

Langius itaque Phil. & Med. Doctor, quatuor Linguarum Germanicæ scilicet, Latinæ, Gallicæ & Italicæ optime gnarus, laudibus ab Exteris cumulatus, ac profunda in Philosophia & Medicina Eruditione condecoratus in Patriam iterum se contulit, & nunc aliam in Mundo Personam agere incepit: Scientiam enim & Eruditionem, quas magno labore & studio acquisivit Discipulus, jam ad Dei gloriam, Proximique salutem applicare suscepit Doctor: eapropter ille nunc non tam considerandus, quam admirandus venit Medicus experientissimus, Philosophus profundus, Academicus clarissimus, Senator gravissimus, ac Pater familias sollicitus.

Prima Præseos medicæ specimina dedit in Legionem Helvetam per quatuor Urbes Silvestres Austriæ anterioris dispositas, in cujus Medicum Castrensem electus est 27. Febr. 1698. ab Illustriss. & Excell. D. *Henrico Byrkli*no Tigurino. L. Barone de Hochburg, hujus Legionis, reliquarumque Copiarum Cæsarearum Austriæ anterioris Commendante Generali, postmodum Cæsareo Campi Marschallo Generali &c. & Illustriss. D. *Jodoco a Fleckenstein* Senatus Reip. Lucernensis interioris, Urbis Proprætore & dictæ Legionis Colonello.

Ut Langii dexteritatem & fortunam in curandis dictæ Legionis & aliorum circumjacentium locorum ægrotis provulgare inchoavit Fama, Civitas

*Wal.*

*Waldshutana* eum in *Physicum* suscepit ordinarium 15. Jul. 1699. Hujus exemplum secutus Rev. ac Illustriss. S. Blasii in *Silva Hercynia* Abbas D. *Augustinus* suum monasterium Ejusdem Curæ quoque commisit prima Januarii An. 1701. qui Ei stipendium honorarium constituit, quale etiam Legio *Helveta*, ac *Civitas Waldshutana* ei subministraverunt. Quot interim ille ægros sanitati pristinae restituerat, tot novas videbatur eundo acquisivisse vires fama, nova semper ejus Nominis præconia quaqua versum diffundens, ita, ut Viri Illustrēs fere omnes finitimi ab illo suis morbis medelam exposcere non dubitaverint, inter quos primarius extitit Illustriss. & Excellent. D. *Franciscus Honorius Comes de Trautmansdorff* Cæsareus ad Respublicas *Helveticas* Orator extraordinarius, qui Sedem suæ Legationis *Badæ Helvetiorum* fixerat, exinde *Langii* Fautor singularis factus.

Cum insuper Patria ejus ope indigeret, *Lucerna* eum præclaris onustum meritis reducem vidit, ut & huic ille sua consecraret officia. Nondum *Lucernæ* consumpserat annum, cum *Mediolanum* accersitus Illustriss. & Excellent. D. *Comitem Arconatum* periculosissime decumbentem cum maxima quidem sui Nominis fama, sed etiam ingenti, cui insidias certatim struebant & anceps Morbi exitus, & æmulorum invidia, propriæ vitæ discrimine & mortis faucibus eripuerit; non minus Illustriss. & Excellent. D. *Marchioni Viscontio*, Exercitus Cæsarei Generali, & Urbis *Mediolanensis* Governatori, Ejusque Familiæ Illustriss. plura ex arte medica præstitit officia.

Jam non solum Helvetia, ejusque Vicinia famam Langii perceperant, sed & hæc ad Augustissimam Sacri Romani Imperii sedem fuit delata. Agebantur tum in Aula Viennensi Negotia Nuptialia inter Serenissimam Archiducem *Mariam Annam*, & Potentissimum Lusitanæ Regem *Joannem V.* cumque hæc ex votis finienda essent, de Medico, qui Valetudinem tueatur Reginæ futuræ eligendo deliberabatur, & En! Langius noster non tam proponebatur, quam & invitatur: Literæ hac de causa ab Excellent. & Doctiff. Domino *Francisco Bossinger* Medico Cæsareo, & Excellent. & Doct. D. *Pio Nicolao Garelli* Serenissimi Archiducis *Caroli* ea ætate proclamati Regis Hispaniarum, postmodum Augustissimi Imperatoris Medico exarata Lucernam adveniebant initio An. 1708. quia vero animo fluctuavit Langius, utrum Regalis Archiatri fastigium quasi in strenam oblatum acceptare, aut Patriæ sua officia similiter exostulantis commodo se dicare debeat, aliæ non solum invitantes, sed & urgentes sui Magni Fautoris Illustriss. & Excellent. D. Comitis de *Trautmansdorff* Oratoris Cæsarei literæ ad amplectendam, quæ ultro offerretur, fortunam eum stimulabant: Sed alii cessit hanc, quam multi etiam auro obtinere tentarent, sortem, Patriæ cura magis, quam tam insolito Regii Archiatri splendore captus.

Patria igitur Langium sibi jam totum addictum, ac suo commodo unice intentum, defuncto doctissimo Viro D. *Rusconi* Medico excellentissimo Physicum constituit ordinarium, ac 29. Maji An. 1709. solito stipendio honoravit; qui Patriæ saluti hoc adhuc anno singulari studio invigilandi ansam nactus

nactus est. Invasit enim circa finem Augusti Occidentales Territorii Lucernensis fines Epidemica extremitatum Corporis humani gangrænosa constitutio, quæ tam celeriter, & tacite in quibusdam invalescebat, ut digiti pedum aut eundo sponte deciderent, aut tibialia vel calceos exuendo in illis, ac si arte a pede fuissent abscissi, remanerent; præcedebant in aliis artuum sensus refrigerationis, livor & corrugatio cutis, torpor, sensus abolitio, ita ut tale membrum infectum lanceola vulneratum, nec incisionem sentiret, nec guttulam sanguinis effunderet, motu tamen difficiliore licet remanente, nigredo demum, ac tandem gangræna, qua membrum, si arte non separaretur, sponte sua decidebat absque tamen singulari reliqui corporis ægritudine. Hujus mali causam Langius, ab Illustriss. Patriæ Patribus de salute subditorum maximopere sollicitis ad loca infecta se conferre jussus, invenit in Siligine luxuriante, granis corruptis, nigricantibus, monstrosis copiosissime ob-  
sita, cujus farinæ usus internus perniciosa hæc mala induxit, cumque dein in Autumno An. 1716. iisdem in locis, & ab eadem causa denuo repræsentaretur tragica hæc scena, ille ad Patriæ utilitatem hujus mali historiam, ejusque methodum medendi tam præservativam, quam curativam literis traditam ex Jussu Illustriss. Senatus in vernacula lingua luci publicæ exposuit, cui annexuit observationes medicas plures aphoristice propositas, quas in praxi medica insigni cum diligentia annotavit.

Hæc inter & Pestis bovina per plures Europæ Provincias longe lateque grassans Patriæ, cujus fines attingere cœpit, devastationem minabatur, quæ tamen Dei T. O. M. Auxilio, & Superio-

rum Cura in ipso ortu iterum fuerat suffocata, cujus descriptionem & Medicamenta præsentanea in bonum publicum An. 1714. in lucem edere Langio committebat Illustriff. Superioritas; Quæ ei præterea An. 1720. gratiosissime imposuit, ut una cum sibi adjuncto Collega D. *Mauritio Cappeller*, Medico experientissimo, Fontes extra Urbem sitos, ac Incolis potum subministrantes investigaret, ac physice, & medice pertractatos Illi consignaret. Similem Exercitationem ac descriptionem Balnei *Unterschächensis* ditionis Uraniaë eodem anno suscipere debuit Illustriff. Senatus Uraniensis sollicitatione; Tale demum scrutinium etiam instituit An. 1727. Fontis in Alpibus *Süßberg* dictis in eadem ditione siti, ac Illustriff. D. *Josepho Antonio Püntener de Braunberg* Reipublicæ Uraniensis Landammanno, ac Ejusdem Capitaneo proprii. Quæ tamen tria Opuscula Hydrographica Juris publici nunquam facta fuerunt.

Præter talia Exercitia Physico-Medica ille quoque particulare studium adhibuit in Anatomia, plura quippe rariora præparata ingenti cum subtilitate, ac magna industria perfecit, quorum adhuc hodierna Conservatio Ejus diligentiaë laudem continuo proclamat. Admodum acceptæ sine dubio Mundo literato fuissent Meditatiunculæ circa genuinam Animæ Rationalis sedem in cerebro humano, ejusque medio, quo juvante illa 1. species per nervos a sensibus externis ad cerebrum delatas immediate in se recipit, cognoscit, & rite distinguit; 2. Actus suæ Voluntatis pariter per nervos partibus subjectis in momento communicat, & citius ictu oculi exercet; 3. Imaginationem,

nem, memoriam, aliasque Animæ functiones, ad quas hucusque Spiritus concurrere solebant, elicit, prosequitur, & peragit, qua occasione Auctor nonnulla proponere voluit de Passionibus Animi, earumque facili communicatione, & conjunctione cum prædictis Animæ functionibus, quam ob causam quandoque tam stupenda ac enormia Phœnomena & Phases in nostro hoc parvulo mundo excitantur, & apparent, nisi a quodam provido Animæ nisu tempestive & sedulo inhibeantur. Hæ Meditatiunculæ ab Auctore An. 1732. fuerunt inceptæ, sed ob continuum valetudinarium statum non terminatæ.

Philosophi profundi Requisita undecunque adimplevit Langius, dum non exiguam Rei Botanicæ dedit operam: testatur hoc Herbarium vivum valde perfectum ex plantis vel per propriam in itineribus Botanicis numerosissimam Collectionem, vel per gratiosam ab Amicis e Germania, Gallia, & Italia factam donationem comparatum, in quo Plantæ omnes Agri Lucernensis, pleræque totius Europæ, Orientales plurimæ a famosissimo *Tournefortio* transmissæ, ac submarinæ Anglicæ a celeberrimo D. *Joanne Gesnero* Medico Tigurino excellentissimo dono datæ particularem merentur existimationem. Expectabat quidem mundus literatus Catalogum Plantarum circa Lucernam sponte nascentium typis mandandum, sed eum Langius Historiæ Naturali Urbis & Agri Lucernensis inserere decrevit, prout ex Idea illius inferius adducenda patebit.

Ad Animi a curis medicis defatigati relaxationem sensuum suorum objectum erant Lapidés figurati, quos cum maxima Nominis sui fama, & ingenti Literatorum applausu inter primos methodice pertractavit. Delectationis hujus ansam nactus est a curiositate erudita Illustriss. & Excellent. D. *Comitis de Trautmansdorff* magni Musarum Patroni, hic Lapidés figuratos non solum circa Badam Helvetiorum obvios, sed & plurimos in exteris regionibus repertos collegit, eosque in ordinem redigendi curam Langio commisit, qui deinceps hoc Museum Trautmansdorffianum primo in *Idea Historiæ Lap. fig. Helvetiæ &c. An. 1705.* postmodum 1708. in ipsa *Historia Lap. fig. Helv.* excellenti methodo descriptum, Venetiis propriis sumptibus excusum, ac tabulis æneis artificiosissime elaboratis ornatum mundo literato communicavit; Præter hanc alia non minus circa hanc materiam erudita edidit scripta inferius adducenda. Hujus studii amore ita tenebatur, ut & ipse ejusmodi collectionem erigere statuerit, in quem finem plurima alpina suscepit itinera, & Lapidés figuratos aliaque sua consideratione digna copiose collegit, ac etiam ab Amicis e Portugallia, Hispania, Italia, Gallia, Germania, Batavia, Anglia, ac India Orientali & Occidentali magnis impensis recepit, quibus mediis Museum & quantitate & raritate Rerum Naturalium, non tantum Lapidum figuratorum, aliorumve Exoticorum, sed & Testaceorum marinarum fere omnium & præstantissimum exstruxit, quod ultimis Vitæ suæ annis in methodum adhuc exactiorem, assiduo oculis præfixum habens lemma: *Aërem feriet, nisi ab ipso dirigatur Objecto*, redigit, ac notabilia in 300. incirca tabulis monochroma

chroma ad vivum a Filio, qui hanc Collectionem de die in dies augmentare nititur, delineata, suo forsan tempore æri incidenda, ac luci publicæ exponenda, adjunxit.

An. 1734. Academia Regia Scientiarum & Artium Burdegalensis Gallica ad pugnam philosophicam provocavit Europæ Eruditos, & illum, qui Lapidum generationem solide enodaverit, præmio condecorare decrevit. Langius in hac materia versatissimus non dubitavit componere Dissertationem de Lapidum Generatione, eorumque Principiis, crystallinorum præcipue, quomodo nimirum & a quo principio interno suas figuras determinatas ac regulares, angularem scilicet, acuminatam, vel rhomboidalem, quadratam, aut plures alias diversas acquirant, & an non propterea quoque viventibus adnumerandi sint, qualique vita fruantur &c. Lucernæ 22. Jan. 1735. Quam ad Illustriss. D. Sarreau Academiæ Burdegalensis Secretarium direxit, & , ut hæc ante mensem Majum, cujus prima dies ultimus præfixus erat terminus quo literæ ab Academia reciperentur, secure ad Ejusdem manus pertingat, cuidam Amico Neocomi commisit; interim, cum & ipse ad hunc aspiraret honorem, illam diutius retinens ex eunte Aprile Langio, nullam nactum se eam ultro promovendi occasionem asserens, sui licet proprii laboris fidelis viæ dux, remisit æmulus.

Ut denique & Patriæ saluti in Philosophicis quoque consuleret, adorsus est An. 1725. Historiam naturalem Urbis & Agri Lucernensis, eamque insigni cum eruditione & permulto labore jam

haud modice produxit, sed, cum itinera in hunc finem necessaria, Aquarum Mineralium &c. scrutinia ac probationes &c. non mediocres consumerent sumtus, ob mediocria, quæ possidebat, fortunæ bona ab hoc desistere coactus est labore; Idea hujus Historiæ Naturalis Urbis & Agri Lucernensis sequens erat. Pars I. complectebatur Helvetiæ Descriptionem generalem, in cujus meditullio Urbs Lucerna situm habet, in IIa delineabatur Urbs & Ager Lucernensis. IIIa repræsentabat Montes, Alpes, Valles, Campos, & Prata Agri Lucernensis. IVta sistebat Lacus, Paludes, Fluvios, Rivos, Torrentes, Balnea, & Fontes. Vta exhibebat Incolas Urbis & Agri Lucernensis. in VIta describebantur Animalia quadrupedia, Volucres, Pisces, Insecta, Cochleas, Conchas &c. & Dracones Agri Lucernensis. VIIam explebat Catalogus Plantarum in Agro Lucernensi sponte provenientium cum exacta omnium Silvarum descriptione. in VIIIa enarrabantur Mineralia, Metalla, Marcasitæ, Fluores crystallini, Lapides, Salia, Terræ, Succis terrestres &c. IXna denique proponebat exactam Meteororum igneorum, aëreorum, aqueorum, terrestrium & aliarum rerum notabilium, quæ ad nostra usque tempora in Urbe aut Agro Lucernensi observata fuerunt, seriem.

Cum itaque Langii fama undique spargeretur, plurimi simili studio dediti scientia aut dignitate præstantissimi Viri ejus amicitiam ambire, commercium literarium cum illo conservare studuerunt. Præcipuos hos inter adducere liceat: In Portugallia erat Eminent. Cardinalis *Josephus Firrau*, tunc temporis adhuc ad Regem Portugalliæ Nuntius Apoli-

stolicus. In Hispania D. *Jacobus Salvador Pharmacopœus* Barcinonensis: In Gallia Illustriss. & Rev. Abbas D. *Joannes Paulus Bignonius*. Illustriss. & Rev. D. Comes de Montioye Alsata I. E. Coll. Isteinensis Præpositus. Famosissimus Botanicus D. *Josephus Pitton Tournefortius*: In Italia sanctissimus Papa Innocentius XIII. de Comitibus tunc temporis adhuc Cardinalis. Eminent. Cardinalis *Gualtieri*. Illustriss. Excellent. Rev. ac Doctiss. D. D. *Joannes Maria Lancisius* Archiater Pontificis. D. P. *Philippus Bonanni* Soc. Jesu Romani. D. *Marchio Caponius* Canonicus, D. *Petrus Antonius Michelius*, Florentini: D. *Josephus Monti*, D. *Rinaldo de Duglioli*, D. D. Fratres *Triumfetti*, Bononienses: D. *Antonius Valisnerius* Patavinus. D. *Cristinus Martinelli* Patricius Venetus. D. *Joannes Hieronymus Zannichelli* Pharmacopœus Venetus: In Germania Eminent. Cardinalis de *Lamberg*. Eminent. Cardinalis *Dominicus Passionei*, ea ætate ad Aulam Cæsaream Nuntius Apostolicus. Illustriss. & Excellent. D. D. Comes de *Trautmansdorff* Cæsareus ad Helvetos Orator. D. Comes de *Metternich* Regis Prussici ad Helvetos Orator. D. Baro *Bondeli* Ejusdem Regis ad Helvetos Ablegatus. Perillustres, Excellent. & Doct. D. D. *Pius Nicolaus Garelli* Medicus Cæsareus, D. *Lucas Schröckius* Augusto-Vindelicus Acad. Cæs. Nat. Cur. Præses. D. *Godefridus Gulielmus Leibnitius* Hannoveranus Soc. Reg. Pruss. Præses. D. *Joannes Georgius Kifner* Medicus Francofurtensis, D. *Joannes Kanold* Breslaviensis. D. *Michaël Rainoldus* Rosinus Munda-Saxo. D. *Franciscus Ernestus Brückmannus* Guelpherbytanus. D. *Joannes Henricus Linckius* Pharmacopœus Lipsiensis: In Anglia Celeberrimus D. *Eduardus Luidius* Professor Oxoniensis: In Batavia Illustriss. & Excell.

D. D. Marchio *Beretti Landi* Ablegatus Regis Hispaniarum ad fœderatas Belgii Provincias. D. *Petrus Valkenier* olim fœderati Belgii ad Helvetos Orator. In Helvetia denique Excellent. ac Doctiff. D. D. *Joannes Jacobus Scheuchzerus*, D. *Joannes Gesnerus*, D. D. *Mathias*, & *Joannes Rudolphus Lavateri*, D. *Joannes de Muralto*, Tigurini. D. *Albertus Ritterus* Bernensis. D. *Theodorus Zuingerus* Basileensis. D. *Joannes Conradus Wepferus* Schaphusianus &c. & plures alii Scientia, ac Doctrina præclarissimi, Doctissimi, experientissimi, ac celeberrimi Viri.

Non autem tantum per commercium literarium, sed etiam ex scriptis Virorum omni eruditione præcellentium circa Res Naturales, Physico-Medicas &c. edita Judicia ac sententias percipere studuit Langius, unde Autorum in omni facultate eminentium opera, sed selecta, juxta illud Senecæ: *non referre quam multos, sed quam bonos habere libros*, sibi comparavit, quæ Librorum Collectio brevi ita accrevit, ut Bibliotheca pro persona privata, sat ampla, ac optime instructa vocanda mereretur.

Insignem per Europam promulgatam Langii in Scientia Philosophica, & Arte Medica Doctrinam sequebantur condigni Hônores, quibus Exteri eum afficere laborabant. Inter hos prima fuit *Academia Physico-Criticorum Senensis*, quæ Langium suis membris 15. Dec. 1703. annumeravit. *Academia* vero *Cæsareo - Leopoldina Naturæ Curiosorum* eum in Membrum elegit 16. Cal. Nov. 1705. eique Nomen Archibii est impertita. *Societas Scientiarum Regia Prussica* 24. Maji 1709. eundem illi exhibuit honorem: quam denique *Academia Scientiarum Bononien-*

*noniensis* 9. Febr. 1739. eum inter sua membra suscipiendo secuta fuit.

Et licet Academiae Regiae Scientiarum Parisino Gallicae incorporari fortunam non habuerit, nihilominus ille singulari sibi duxit honori ab eadem eximium peculiaris affectus argumentum, quo illa percepto Langii cum Illustriss. & Rev. Abbate *Bigonio* circa res naturales literarum commercio, ei applaudere, ad illud continuandum eum animare, ac sibi communicandum exoptare nititur in charta pergamena 13. Dec. 1713. ab Academiae Secretario D. *Fontanelle* exaratum, subscriptione Illustriss. & Excellent. D. Praesidis Marschalli *d' Etrée* exornatum, ac Sigillo Academico confirmatum recepisse.

In Patria quoque non deerant honores, qui Langii merita coronarent, etenim An. 1712. gravissimis Senatus Reipublicae Lucernensis exterioris Ordinis membris adjunctus, & An. 1715. in praefectum *Knutwilensem*, gratiosissime est electus.

Silentio hic praetereundae non sunt Notae insignis existimationis, qua eum Viri doctissimi fovere, & in suis Scriptis magna cum laude citare solebant, quos inter numerantur: *Scheuchzerus* in sua Oryctographia. *Lancisius* in Metallotheca Mercati. *Helwing* in Lithographia Angerburgica: *A Melle* de Echinitis Wagricis, & de Lap. fig. Lubecensibus. *Mylius* in Memorabilibus Saxoniae subterraneae. *Wolfart* in Historia naturali Hassiae inferioris. *Schütteus* in Oryctographia Jenensi. *Volckmannus* in Silesia subterranea, *Kanold* in Museographia Neickelii. *Beringer* in Lithographia Wirceburgensi.

*Hiemerus* in Capite Medusæ, *Erhardus* de Belemnitis Suevicis. *Bajerus* in Sciagraphia Musei sui. *Breynius* de Polythalamis. *Brückmannus* in Thefauro subterraneo Ducatus Brunsvigii. *Lesserus* in Lithotheologia, & alii. Academia Cæsareo-Leopoldina Naturæ Curiosorum Dec. III. Anni IX. & X. in appendice pag. 207. Langii Ideam Historiæ nat. Lap. fig. Helv. ejusque Viciniæ suis Ephemeridibus totam inserere non detrectavit. *Brückmannus* porro Epistolam itinerariam 77. Centuriæ primæ ei quoque adscripsit, & denique *Zanichellius* Epistolam de quodam Insecto aquatili, Venetiis 1727. in 8. cum figura. Nomini ejus inscriptam typis dedit.

Hæc inter studia non tantum sui Nominis, sed & generis perpetuitati consulere cupiens Langius matrimonium iniit 5. Nov. 1708. cum Patritii generis Virgine prænobili *Maria Barbara* nobilissimi Domini *Gulielmi Meyer* Senatoris consultissimi, & nobilissimæ Domine *Mariæ Elisabethæ Pfiffer ab Altshoffen*, Filia virtutibus muliebribus abunde exornata, quæ eum octo Liberorum Patrem fecit, quorum primogenitus *Joannes Bernardus* An. 1710. in lucem editus octava suæ Vitæ die iterum æternitatem ingressus est. Hunc secuta est Filia *Maria Elisabetha* An. 1711. sed post 14. dies limina mortis intravit. Alius dein Filius e matris utero prodiit 8. Dec. 1713. qui in sacro Baptismatis fonte *Beatus Franciscus Maria* vocatus, a Patre solicite educatus, ac ad virtutes & studia Physico Medica continuo adhibitus 3. Aug. An. 1733. in Universitate *Parmensi* cum maxima Parentum Consolatione Phil. & Med. Doctor creatus, ac demum defuncto Patre dile-

dilectissimo ab Illustriss. Senatu Physicus Ordinarius An. 1741. constitutus fuit; in matrimonium duxit 29. Jun. 1742. selectam, ac omni Virtutum decore conspicuam Virginem *Annam Elisabetham* D. Antonii Ronca Civis Lucernensis spectatissimi, & D. *Mariæ Elisabethæ Brentanæ* Matronæ piissimæ Filiam 4. Jun. 1722. natam. An. 1714. mundum huic intravit itidem Filius *Josephus* dictus, qui uno anno elapso iterum vivere desiit. An. 1716. natus est aliis filius *Josephus* quoque appellatus, qui tamen spatio unius anni mundo denuo valedixit. Hujus vices supplevit Filia *Maria Anna* quæ 20. Jan. 1720. primam lucem aspexit, & 1743. viro clarissimo D. *Antonio Spadoni* Luccensi matrimonio juncta in conjugio fortunatissimo apud Exteros adhuc inter vivos moratur. An. 1721. vitam ingressa est *Patientia*, quæ 4. dierum filia iterum mortis victima cecidit. Ultimo denique Langium Patrem salutavit alia Filia *Anna Catharina* dicta, quæ spernens temporalia, ac meliorem eligens partem in Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti in *Aw*, Abbatix Principali Einsidlensi vicino votis solennibus An. 1744. se Deo dedicavit, ac commutato nomine, *Maria Maura* nunc quoque in Oratione, & Corporis mortificatione Deo inservit.

De Educatione sollicita Liberorum nil amplius adnotandum venit, quam Symbolum: *Ora & labora, & Deus aderit sine mora*: quo superstites Liberos continuo ad virtutes & labores animavit Pater.

In Patria Patronos, qui suam personam, familiamque in adversis servarent, magnanimos Langio fortuna dedit, quorum Memoria ab Oblivio-

ne merito vindicanda existit. Erant autem sequentes.

Illustriss. Dominus D. *Jodocus a Fleckenstein* Legionis Cæsareo-Helvetæ Colonellus, Senatus Reip. Lucernens. interioris, & Urbis Proprætor.

Illustriss. Dominus D. *Ludovicus Christophorus Pfiffer*, Dominus in Wyer, Eques S. Ludov. Legionis Gallico-Helvetæ Colonellus, Excubiarum Regiarum Capitaneus, Senatus Reip. Lucernens. interioris, Urbis Bannerarius, & Proprætor.

Illustriss. Dominus D. *Christophorus Pfiffer*, Dominus in Altishoffen Senatus Reip. Lucernens. interioris.

Illustriss. Dominus D. *Beatus Franciscus Balthasar* Senatus Reip. Lucernens. interioris, & Urbis Vexillarius.

Morbis adeo multis non erat quidem infestatus Langius a Deo Naturam sat firmam obtinens. Odontalgia scorbutica hic frequentissima eum sæpius vexabat. Annus 1720. illi admodum periculosus erat, quippe febre continua periculo plena ac diuturna correptus fuit, quam tamen Deo favente, & auxilio D. D. Medicorum feliciter superavit; cum tamen vires labefactatas morbo jam superato restaurare non posset, Remedium necessitate ductus invenit insigne, quo se citissime pristinis viribus, & sanitati restituit, Arcanum nobilissimum ab eo Elixirium compositum dictum.

Anno

Anno suæ ætatis 63. in Februario invasit eum Insultus apoplecticus, qui eum loquela per 3. dies, motu vero sinistri lateris per aliquot menses privatum in lecto detinuit: ex hoc tempore Langius usque ad finem vitæ continuo valetudinarium agebat viribus & calore naturali orbatus, ita ut aëre frigidiusculo in æstate etiam oborto hypocæustum calefactum habere debuerit: quotannis dein circa solstitium hyemale in pejus ruebat, debilitas lateris paralitici majora sumebat incrementa, & sic in lecto usque ad æstatem summam se detinere cogebatur. Calore dein adveniente usque ad ultimos duos Vitæ suæ annos, licet cum magna difficultate Urbem egredi, & in circumjacentibus pratis animum suum exercitio Botanico, quod cum filio repetere admodum delectabatur, recreare potuit. Domi vero præcipue hyemali tempore in aliquale solamen, & lenimentum languidi & ægrotantis Corporis studiis Physico-Medicis semper inhæsit, ac si in his vires novas animi & corporis reperiret.

Tandem noster Langius feбри continua 71. ætatis anno affectus 2. Maji 1741. Animam Creatori suo placida morte reddidit, Corpus Templo R. R. P. P. Sancti Francisci Conventualium commisit, & Nomen, atque virtutis & Doctrinæ Famam Memorix Posteritatis reliquit.

Opera, quæ publici Juris fecit Langius, sunt sequentia.

*Idea Historiæ Naturalis Lapidum figuratorum Helvetiæ, ejusque Vicinæ, in qua simul continetur Lactis Lucernæ descriptio & usus medicinalis. Lucernæ. 1705. in 4.*

*Historia*

*Historia Lapidum figuratorum Helvetiæ, ejusque Viciniæ, in qua non solum enarrantur omnia eorum genera, species & vires, æneisque tabulis repræsentantur, sed insuper adducuntur eorum loca nativa, in quibus reperiri solent, ut cuilibet facile sit eos colligere, modo adducta loca adire libeat. Venetiis. 1708. in 4.*

*Appendix ad Historiam Lap. fig. Helv. ejusque Viciniæ de miro quodam Achate, qui Coloribus suis imaginem Christi in cruce morientis repræsentat, cujus occasione quoque de aliis mirabilibus tam Achatum, quam aliorum lapidum figuris breviter agitur, quæ quidquam de Passione Domini coloribus suis exhibent, cum exacta descriptione Lapidis cruciferi, seu cruciati, ejusque Virium, & Icone prædicti miri Achatis. Typis Monasterii Einsidlensis. 1735. in 4.*

*Tractatus de Origine Lapidum figuratorum, in quo diffuse disferitur, utrum nimirum sint Corpora marina a diluvio ad montes translata, & tractu temporis petrificata, vel an a seminio quodam e materia lapidescente in terram generentur, quibus accedit accurata Diluvii, ejusque in terra effectuum descriptio cum dissertatione de generatione Viventium, Testaceorum præcipue, plurimorumque corporum a vi plastica auræ seminalis hinc inde delatæ extra consuetam matricem productorum. Lucernæ. 1709. in 4.*

*Methodus nova & facilis Testacea marina pleraque, quæ huc usque nobis nota sunt, in suas debitas & distinctas Classes, Genera & Species distribuendi, nominibusque suis propriis structuræ potissimum accommodatis nuncupandi, apprime necessaria & utilis omnibus iis, qui eorum cognitionem ex fundamento scire cupiunt, & sibi ex illis museum regulare erigere tentant; nam in ea non  
solvens*

*solum reperient notas characteristicas cujuscunque Classis & Generis Testaceorum in ipsis Libri Titulis quam diligentissime expressas, sed etiam nomina præcipuorum Auctorum, qui illa describant, numerosque paginarum & Tabularum, in quibus exposita & delineata occurrunt, ita ut e præsentis methodo, licet ob defectum Occasionis tabulis æneis prorsus destituta, facile cujusque testacei descriptio & effigies inveniri possent, modo B. L. ad hoc necessariis libris instructus sit: Multum insuper conducet ad Lapidem figuratos marina representantes rite distinguendos, ad quem finem præcipue contexta est. Lucernæ. 1722. in 4.*

Beschreibung des Viech-Prestens, so sinther 1711. bis auf dieses Jahr 1714. in den vornehmsten Provinzen unserer wehrten Christenheit entsetzlich gewüthet hat, darinn sein Ursprung und Ursachen begrieffen, die äußerliche und innerliche so wohl Heilungs- als Bewahrungs- Mittel angezeigt, und die nöthige Vorsorgen zu Beschüzung ganzer Ländereyen angezogen sind, aus Hochoberkeltlichem Befelch zu Hilff und Trost eines ganzen untergebenen Lands zusammen getragen, und an Tag gegeben. Lucern. 1714. in 8.

Beschreibung des bis dahin bey uns niemahls erhörten und zu Zeiten sehr schädlichen Genusses der Kornzapffen in dem Brodt, und des darauf folgenden unversehenen kalten Brands, darinn seine innerliche und äußerliche Ursachen samt den erforderlichen Mittlen und Weiß des Auswachs und Vergiftung der Kornzapffen begrieffen sind. Worbey weitläufftig von dem grossen Nutzen des natürlichen Thaus, und hergegen von dem entsetzlichen Schaden des vergiftten Mibl-Thaus, daraus auch öfters  
des

Der Vieh-Pestentstehet, gehandelt wird. Neben einem kleinen Anhang etwelcher seltsamen und zu der Arzney sehr nuzlichen Observationen. Luzern. 1717. in 8. c. fig.

T A N T U M.

